
HARVARD UNIVERSITY
ARNOLD ARBORETUM
PRESENTED ~ BY ~ CHARLES ~ SPRAGUE ~ SARGENT
1892

D. B.

OBSERVATIONES BOTANICO-MEDICÆ

QUAS

EX DECRETO

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI

OCCASIONE

VACANTIS CATHEDRÆ

ANATOMICO - BOTANICÆ

CLARISSIMORUM COMPETITORUM PUBLICO EXAMINI

SUBMITTIT

WERNERUS DE LA CHENAL

PH. ET MED. DOCTOR.

RESPONDENTE

JUVENE FLORENTISSIMO

DANIELE WOLLEB

A. L. M. ET MED. STUD.

ad Diem 26. Novemb. *MDCCLXXVI.*

H. L. Q. S.

BASILIÆ

Typis, JOH. RUDOLPHI IM-HOF ET FILII.



AQUILEGIA montana parvo flore Thalictri folio C. B.

Cum nuper pulcherrimam Cel. Jacquin *Floram Auſtriacam* inſpiciendi perluſtrandique occaſionem nactus fuerim, circa nonnullas ſtirpes helveticas ibi deſcriptas depictasque aliqua feſtinante calamo adnotavi, quæ, cum ad earum illuſtrationem forſan nonnihil contribuere poſſint, interſperſis nonnullis ſed perpaucis aliis obſervationibus, ſpeciminis botanici loco heic æquo Botanophilo dijudicanda propono. Laudatum ceterum Ill. Jacquini Opus veris rei herbariæ cultoribus non ſatis commendare poſſum, cujus an iconum elegantiam fidemque, an vero deſcriptiones optimas & accuratiſſimas magis mireris incertus hæreas.

I.

Haud levi induſtria opus eſt ad ſeparandas *Picrides* 25 & 26. Halleri *Hiſt. Stirp. helv.* pag. 11. & 12. ſ. *Leontodon hiſpidum* & *danubiale* Linn., ſi quidem vere differunt; Notas certe diverſitatis a glabritie vel hirſutie calycis & foliorum deſumtas minime ſufficere exempla teſtantur, quæ poſſideo, intermedia, foliis hirſutis & calyce glabro alia, alia vero glabris foliis & hirſuto calyce. Conſtantiora igitur diſcriminis ſigna quærenda erunt, qualia quidem hactenus reperire haud potui.

II.

Manifeſtius differt *Leontodon (pyrenaicum) ſcapo levi, pedunculis tumidis ſquamoſis, calycibus villoſis, foliis ovato-lanceolatis petiolatis ſubintegerrimis* Gouani *Illuſtr. Botan.* p. 55. Tab. XXII. fig. 1. 2., quod eſt *varietas β Picridis* 25. Hall. p. 12. Folia huic ſunt variæ figuræ & magnitudinis, ovata, ex ovatis oblonga, elliptica, lanceolata, ſemper tamen integra, ſubdentata, ſubhirſuta, fine obtuſo vel acuto. Scapus ſemipedalis, pedalis, nudus plerumque, præter ſquamas ſub flore ſatis frequentes, quibus quandoque unum alterumve foliolum vel ligula in medio ſcapi accedit. Calyx ſubhirſutus, ad baſin tomentoſus, quod tamen tomentum adultior planta deponit. Poſſet adpellari: *Picris ſcapo nudo ſquamoſo, foliis ovato oblongis rari-*

ter dentatis. Legi in Vallis urſariæ pratis & prope Sanctam Mariam ad mineras in ſummo Alſatici montis Bloutberg cacumine.

In horto ſicco BAUHINIANO adſervatur ſub nomine *Hieracii rigidiori folio* a BURSERO *auf dem Raſtædter Tavvrero* lecti.

Etiam ſequentia ſynonima ad plantam noſtram videntur ſpectare:

Hieracium (incanum) foliis integris, ſubdenticulatis, lanceolatis, ſcabris, ſcapo unifloro LINN. *Spec. Plant.* Ed. I. p. 799. n. I. excluſo ſynonimo Bauhiniano, *Syſt. Veget.* p. 597. n. I. In ſecunda *Specier. plant.* editione pro varietate *Leontodonis hiſpidi* habebat.

Hieracium incanum JACQUIN *flor. Auſtr.* Vol. III. p. 47. Tab. 287. excluſo ſynonimo C. B.

Hieracium montanum VI. CLUS. *Pannon. p.* 645 & 46., *Hiſt. p. CXLI.*

Hieracium montanum anguſtifolium II. TABERN. *Icon. p.* 147.

Apargia incana SCOPOLI *flor. Carniol. T. II. p.* 113.

III.

Crepidem calycibus muricatis HALL. *Hiſt. Stirp. helv. pag.* 14. n. 32. novam, ut tunc videbatur, plantam primum a me anni 1766. menſibus Junio & Julio in nonnullis vinearum ſemitis extra portam Riehanam ad ſiniſtram viæ Crenzacenſis lectam, nunc a *Crepi* 23. HALL. loc. cit. non amplius ſeparo. Calycis foliola equidem & pedunculorum ſuprema pars longiuſculis & pallidis ſpinulis muricata ſunt peculiari facie; reliqua tamen planta convenit radice annua, foliis variæ figuræ, radicalibus ovato-oblongis, varie dentatis, petiolatis, petiolis dentatis, caulinis infimis radicalibus ſimilibus, ſuperioribus ſeſſilibus, circa baſin caulem amplectentem acute & profundius dentatis, reliqua parte longe lanceolatis, fere integris, ſubhirſutis, floribus pallide luteis, parvis. Suſpicionem auget meram eſſe varietatem, quod ab anno 1766. neque in prædicto loco neque alibi eam iterum detegere potuerim, quodque omnes fere auctores de ſtirpe ſileant, non in deſerto aliquo vel præcipiti & vix acceſſibili loco, ſed ad viam publicam lecta. Adſunt tamen duo ejus ſpecimina in horto ſicco C. BAUH., unum ſub nomine *Hieracii minoris alterius, capitulo inclinato* SPÖRLINI manu adſcripto; alterum ibi ipſo C. BAUHINO *Hieracium chondrillæ folio hirſutum foliis anguſtioribus* audit. An *Crepis neglecta* LINN. *Mantiſſ.* p. 107. n. 15. *Syſt. Veget.* p. 600. n. 15. huc referenda? Deſcriptio certe convenit.

IV.

Conjungunt Ill. Viri LINNÆUS & HALLERUS duo *Hieracia*, quas ego, etſi vicinas eſſe fatear, tamen diſtinctas puto. Loquor de *Hieracio* 48. HALL. ejuſque *varietate β Hiſt. Stirp. helv.* pag. 20 & 21.

Primum nonniſi in alpinis proveniens inque glareoſis alveis torrentium ex alpibus deſcendentium, folia radicalia ſubglauca habet, glabra plerumque, ex elliptico lanceolata, anguſta, obtuſa & ſubacuta, dentata vel integra. Caulis ut plurimum præter paucas ligulas & ſquamulas nudus eſt, ſemipedalis & pedalis, pauciflorus, imo ſæpe uniflorus, glaber, ſtriatus; rami, ſi qui adſunt, ſupra medium caulis exoriuntur, uniflori, ſquamulis verſus florem adſperſi, ſub flore tomentoſi. Flos ſatis magnus, calycis foliolis anguſtis, longe lanceolatis, ſubtomentoſis. Flores hujus ſub exſiccatione viridem colorem induunt, & ita manent, etiam in Bauhiniana collectione.

Certiora hujus ſynonima ſunt:

Hieracium montanum anguſtifolium nonnihil incanum C. B. *Pin.* p. 129. fide horti ſicci, non autem ſynonima.

Chondrilla folio non diſſecto, caule nudo & foliato I. B. *Hiſt. Plant.* T. II. p. 1041. c. 2. iconibus.

Hieracium folio ſtatices caule nudo TOURN. *Inſt. R. H.* p. 471. & *caule foliato* EJUSD. loc. cit.

Hieracium alpinum foliis anguſtis, raro dentatis, flore magno SEGUIER *Plant. Veron.* Vol. III. p. 270. n. 4. c. bon. deſcript.

Hieracium foliis glaucis, linearibus, leviſſime ſinuatis, caule pene nudo ramoſo HALL. *Enum. Stirp. Helv. p.* 749. excepta variet. γ.

Hieracium caule nudo, brachiato, paucifloro, foliis linearibus, rariter dentatis EJUSD. *Catal. rarior.* n. 966. *Hiſt. Stirp. helv. p.* 20. *n.* 48. excepta variet. β.

Alterum in alpibus ni fallor nondum lectum, montanarum rupium incola, mutabilis eſt formæ. In univerſum tamen folia ad radicem glauca habet, glaberrima, præter paucos prælongos pilos qui ſubinde ad eorum exortum & juxta nervum conſpiciuntur, lanceolato-linearia acuminata, ſubdentata vel integerrima; in caule ſimilia, ſaltem minora. Caulis glaber, teres, variæ altitudinis, a dimidio ad integrum & ad duos ſubinde pedes exſurgens, rarius ſimplex, plerumque plus minusve ramoſus & folioſus, ramis brevioribus, quandoque iterum ramoſis. Flos

unicus vel plures, quoad calicem & colorem præcedentis ſimilis, exſiccatus tamen minime vireſcens.

Huc refero ſequentia ſynonima:

Hieracium Tragopogonis folio C. B. *Pin.* p. 129., fide horti ſicci. Specimen humilius pauciflorum, foliis anguſtiſſimis.

Hieracium alpinum anguſtiſſimo oblongoque folio C. B. *Hort. ſicc.* Planta altior, cubitalis, valde ramoſa, folioſa & multiflora.

Hieracium montanum Aſphodeli foliis acuminatis BOCCONE *Muſeo di piante rare* p. 147. Tab. 106. ſatis bene pro planta ramoſa.

Hieracium (porrifolium) caule folioſo multifloro, foliis linearibus integerrimis JACQUIN *Enum. Pl. Vindob.* p. 143 & 273. c. deſcript. & icone Tab. VI. Altum, maxime folioſum, foliis anguſtiſſimis.

Hieracium (porrifolium) caule compoſito, ramoſiſſimo, foliis lanceolato-linearibus integerrimis LINN. *Spec. Plant.* Ed. I. T. II. p. 802. n. 14. an & ROYENI *flor. Leyd. prodr.* p. 125. n. 13? deſcriptio brevis addita non recedit.

Hieracium (porrifolium) caule ramoſo folioſo, foliis lanceolato-linearibus integerrimis LINN. *Spec. Plant.* Ed. II. T. II. p. 1128. n. 16 *ſubintegerrimis Syſt. Veget.* p. 598. n. 16.

Hieracii 48. HALLERI *Hiſt. Stirp. helv.* p. 20. varietas β *foliis plerumque integerrimis acutis gramineis.*

Huc etiam pertinet exceptis ſynonimis *Hieracium folio ſtatices, caule foliato* SEGUIER *Plant. Veron.* Vol. II. p. 270. n. 5. c. bon. deſcript. etſi Ill. HALLERUS ad præcedens retulerit.

Incuria typographi videtur apud Ill. HALLERUM ad noſtram plantam icon OEDERI *flor. Dan.* faſc. I. Tab. 27. citari, quæ ad n. 49. pertineat.

V.

QUAM Cel. JACQUIN ſub nomine *Hieracii pumili* LINN. in *flor. Auſtr. Vol. II. p.* 53. deſcribit & in *Tab.* 189. depingit *Hieracii* ſpecies plane convenit cum planta in rupibus montis Dornacenſis a me lecta, & abunde differt ab *Hieracio* 42. HALL. *Hiſt. Stirp. helv.* p. 17. uti cuivis plantas ipſas conferenti facile eſt videre. An vero noſtra planta, utut minima & primo intuitu diverſiſſima, vere a *Pulmonaria Gallorum* differat nondum penitus adfirmaverim.

VI.

Huic proximum eſt, ſi non idem, *Hieracium* in muris Bruntruti inque valle Lepontia prope Zollbrück olim a me repertum, caule altiore, vix tamen in iis, quæ vidi, ſpeciminibus pedem attingente, ramoſiore, foliis amplioribus, minus hirſutis, mollibus, ceteris plane iisdem. Hæc eſt varietas γ. *Hieracii* 46. HALL. p. 20. *Hieracium montanum, lanuginoſum laciniatum parvo flore* C. B. *Prodr.* p. 66. *Pin.* p. 129. teſte horto ſicco.

VII.

Hieracii mollis JACQUIN *flor. Auſtr.* Vol. II. pag. 12. Tab. 119. unicam ante aliquot annos accepi plantam in montoſis circa arcem Ramſtein pagi noſtri lectam. Novum videtur eſſe ab omnibus Hieracii ſpeciebus diverſum neminique hactenus præter JACQUINUM dictum. Non habeo quod ex unico ſpecimine Ejus deſcriptioni addam data que occaſione ulterius in illud inquiram.

VIII.

Senecionem tenuifolium Cel. JACQUIN *flor. Auſtr.* Vol. III. *p.* 42. Tab. 278. pro nova ſpecie ab eo habitum, dudum inter plantas meas ſiccas adſervo, vulgarem paſſim in montoſis noſtris ſylvis, & hactenus pro mera *Senecionis Jacobeæ* varietate habeo. Maxime enim ludit hæc planta variasque induit formas, pro loci, quo provenit, indole & diverſitate, ut quandoque foliis omnibus integris ovatis reperiatur. Conf. HALL. *Hiſt. Stirp. helv. p.* 26. *ad n.* 62.

IX.

Cinerariæ ab Ill. JACQUIN in *Vol. II. flor. Auſtr.* Tab. 176. 177. 179. 180 & 181. exhibitæ commode mihi videntur in duas ſpecies conjungi, *unam* nempe foliis ex cordato-oblongis, petiolatis, petiolis nudis; *alteram* foliis inferioribus ovato-oblongis petiolis quidem inſtructis, ſed membranaceis latiuſculis, ſuperioribus lanceolato-ellipticis vel ligulatis ſaltem, amplexicaulibus. *Prior* ſpecies contineret *Cinerariam cordifoliam*, & *cordifoliam auriculatam* JACQUIN. *Tab.* 176 & 177. *Senecionem* 63. HALL. *Hiſt. Stirp. helv.* p. 27. *Altera* vero ſub ſe comprehenderet *Cinerarias* 179, 180, 181, JACQUINI, *Seneciones* vero 67. & 68. HALL. p. 28. & 29. Ill. LINNÆUS omnes ſub nomine *Cinerariæ alpinæ* conjungit. De *Cineraria criſpa* JACQUINI Tab. 178. non viſa nihil certi pronuncio. Videtur tamen ad primam ſpeciem pertinere.

X.

Clusius jam, uterque Bauhinus aliique ejus ævi Botanici duas *Cacaliæ alpinæ* fecerunt ſpecies, eoſque plerique recentiorum ſecuti ſunt. Conjunctæ poſtea a Cel. Linneo & Hallero nunc iterum ſeparantur a Cl. Gouan in *Illuſtr. botan. p.* 65. & ab Ill. Jacquin in *flor. Auſtr.* Vol. III. *p.* 20. Tab. 234 & 235.

Altior eſt *una*, robuſtior, caule ſubhirſuto, purpuraſcente, foliis multo amplioribus, inferne ſubtomentoſis, in medio caulis petiolatis quidem, ſed ad exortum eorum auriculis ſubrotundis caulem amplectentibus, ſuperioribus lanceolatis perinde auriculatis, non petiolatis, ſupremis lanceolato-linearibus, auriculis deſtitutis, floribus majoribus, numeroſioribus, floſculis minus patentibus &c.

Hæc eſt *Cacalia vulgaris incano folio* Clus. *Pannon.* p. 500 & 501. *Hiſt.* p. CXV. cum icone, in qua auriculæ deſiderantur.

Cacaliæ primum genus Joh. Bauh. *Hiſt. pl.* T. III. p. 569.

Cacalia foliis craſſis, hirſutis C. B. *Pin.* p. 198. *Baſ.* p. 58.

Cacalia (Alliariæ) calycibus trifloris, foliis cordatis, petiolatis, dentato-angulatis, caulinis ſubhaſtatis, vaginis ſtipularibus cordato-amplexicaulibus Gouan *Illuſtr. botan.* p. 65.

Cacalia tomentoſa Jacquin *flor. Auſtr.* Vol. III. p. 20. Tab. 235.

Abunde provenit in altioribus pagi noſtri ſylvis abiegnis, locis umbroſis ſubudis.

Altera humilior eſt, minus hirſuta, foliis potius denſioris ſeu magis coriaceæ texturæ, ſubtus ſubhirſutis, non tomentoſis, neque auriculatis, corymbis laxioribus, floſculis patentioribus.

Huc referenda *Cacalia glabro folio* Clus. *Pannon.* p. 501. *Hiſt.* p. CXV. abſque icone.

Cacaliæ alterum genus J. B. *Hiſt. pl.* T. III. p. 569.

Cacalia foliis cutaneis acutioribus & glabris C. B. *Pin.* p. 198.

Cacalia alpina Jacquin *flor. Auſtr.* Vol. III. p. 20. Tab. 234.

Fateor tamen, poſt innumera utriuſque ſpeciei collata ſpecimina, etiam hortenſia, non ſatis rationum me inveniſſe ad eas ſeparandas. Vidi enim auriculas per gradus intermedios evanuiſſe; neque tomentum certiorem ſuppeditat notam, minus adhuc calyx, in quo, omni licet adhibita attentione, vix ullam inveni differentiam, quidquid in contra-

rium

rium adferat Cl. Gouan, ut nihil nunc dicam de hirſutie, foliorum dentibus &c. Maneant itaque conjunctæ, donec oculatior aliquis certiora & conſtantiora differentiæ ſigna detegat.

XI.

Circa *Cirſium* 164 Hall. *hiſt. ſtirp.* p. 72. ab Ill. Jacquin Tab. 89. egregie depictum, notandum, ſæpius foliis omnibus ſemipinnatis occurrere, neque raro uniflorum eſſe, a qua varietate *Carduus medius* Gouani *Illuſtr. botan.* p. 62. Tab. 14. pro novo propoſitus non differre videtur.

XII.

Carduus rivularis Ill. Jacquin *fl. Auſtr.* Tab. 91. cujus nullum ſynonimon adducit, certiſſime nihil aliud eſt, quam *Cirſii* 175. Hall. varietas foliis infimis pinnatifidis, qualia exemplaria abunde olim legi in pratis circa Montbelgardenſem pagum montanum Montecherou.

XIII.

Cnicus oleraceus Linn., qui eſt *Cirſium* 173. Hall. ſæpius in ſylvis noſtris ad rivulos ad humanam altitudinem adſurgit, foliis magis ſpinoſis, ramis in adulta ſtirpe magis elongatis, aphyllis, ſimillimus tunc *Carduo tatarico* ab Ill. Jacquin in *flor. Auſtr.* Tab. 90. depicto. An eadem planta? Ceterum *Cirſium* 176 Hall., cujus olim in *Actis helv.* Tomo IV. iconem dedi, quodque hactenus non bene pro *Carduo tatarico* Linn. habui (a ſpecifica Ejus denominatione deceptus, quæ plantæ noſtræ perinde convenit), a Jacquini ſtirpe abunde diſcrepat foliis ſemper pinnatis vel ſemipinnatis, in ſuperiore caulis parte nunquam concavis, valde ſpinoſis, radicibus potius tuberoſis quam fibroſis, caule etiam in altiſſimis & hortenſibus ſpeciminibus vix duos pedes exſuperante &c.

XIV.

Antirrhinum geniſtifolium Jacquin *flor. Auſtr.* Tab. 244. omnino eſt *Antirrhinum* 337. Hall. *hiſt. ſtirp. helv.* pag. 147. uti ſpecimina ab ipſo ſummo Viro accepta teſtantur. *Linaria lutea montana Geniſtæ tinctoriæ folio* C. B. *Pin.* p. 213. & *Linaria flore pallido, rictu aureo* Ejusd. ibid. fide *Horti ſicci* huc referendæ.

XV.

Coronilla minima Jacquini *fl. Auſtr.* Tab. 271. in ſummo montis Vogelberg dorſo vulgaris minime differt a *Coronilla* 390. Hall.

pag. 170. uti planta ab Eo miſſa docet. Non perinde pronunciaverim de *Coronilla minima* Linn. cum brevis ejus deſcriptio *Mantiſſæ plantarum alteri* p. 444. inſerta helveticæ & auſtriacæ ſtirpi non reſpondeat. Dicit enim, foliola intima petiolorum cauli approximata (uti *Coronillæ coronatæ ſ. variæ*) ſtipularum inſtar, patentia, in planam expanſa, reliquis non minora; cum in noſtra veræ adſint auriculæ ſ. ſtipulæ a foliis colore, magnitudine & figura plane diverſæ. Ipſe C. Bauhinus huic ſpeciei in *Horto ſicco* nomen *Coluteæ ſcorpioidis minoris coronatæ* adſcripſit. *Coronilla autem* 388. Hall. ſ. *coronata* Linn. ibi *Coronillæ ſiliquoſa minor* audit.

XVI.

Arabim pendulam & *Arabim Turritam* Linn. cum Ill. Hallero pro una eademque planta habeo, licet prior in ultimo ſuo opere, *Syſtemate* nimirum *Vegetabilium* a Cl. Murray edito vere differre aſſerat. Innumera enim examini ſubjecta ſpontanea æque ac hortenſia ſpecimina docuerunt, floris colorem ex albo in ochroleucum ludere, calycem in noſtra *helvetica* equidem utplurimum pilis raris eſſe adſperſum, non tamen nunquam etiam rugis aliquot transverſis notatum, caulem vel ramoſum eſſe bipedalem, vel ſimplicem vix pedalem, etiam folia ratione dentium & hirſutiei variare & plus minusve amplexicaulia eſſe. Planta demum *Ammaniana* olim ab Ill. Hallero ex horto Gottingenſi accepta a noſtris nullo modo differt, neque Ill. Jacquini icon in *flor. Auſtr.* Tab. XI. picta ab iis abludit.

XVII.

De *Cerintbe minori* Linn. in tranſitu moneo, civibus helveticis eam eſſe adnumerandam, quæ in promontorio quodam Juræ hand longe ab Oppidulo Pfirt ſponte proveniat. Pulcherrime ceterum depicta eſt ab Ill. Jacquino in toties jam laudati Operis Vol. II. Tab. 124.

XVIII.

Gentiana pannonica Cel. Jacquin *flor. Auſtr.* Vol. II. Tab. 136. a *Gentiana* 639 Hall. p. 284. quæ eſt *Gentiana purpurea* Linn. calyce differt, qui in *helvetica* plurimum olim in Valle urſaria a me lecta, etiam in Bauhinianis exemplis, ſpatham refert indiviſam, florem ex parte amplectentem, in juniori flore integerrimam, dein flore ſeſe expandente longitudinaliter fiſſam; in *auſtriaca* vero teſtibus Jacquino & Scopoli campanulatus eſt, obſolete hexagonus, circa medietatem in tot plerumque lacinias inæquales fiſſus quot ſunt ſegmenta floris, præciſe ergo talis, qualem in *Gentiana* 638 Hall. ſ. *punctata* Linn.

obſervavi. Ergo vel tres conſtituendæ erunt ſpecies *punctata*, *pannonica* & *purpurea*, vel omnes in unam conjungendæ, quæ Ill. HALLERI eſt ſententia, cui & ego lubenter adſtipulor.

XIX.

Galium glaucum JACQUINI *flor. Auſtr.* Vol. I. p. 51. Tab. 81. ex aſſe reſpondet plantæ in transalpina Helvetia circa Mendriſium olim a me repertæ, quam Ill. HALLERUS pro varietate *Galii* ſui 712. ſ. *Galii ſylvatici* LINN. habet. Sed puto poſſe diſtinctum manere ob ſtrictiorem & rigidiorem habitum, folia duplo & triplo anguſtiora, ora revoluta, ſuperne ſplendentia, caulem inferne manifeſte angulatum &c. *Galium glaucum* LINN. non poteſt huc referri.

XX.

Aſperula lævigata LINN. duas comprehendit plantas minime confundendas, *Galium* nimirum 727. HALL. a Cel. JACQUIN Tab. 94. optime depictum, in Helvetia vulgare, etiam in Monte Alſatico Bloutberg a me lectum, caule inferne hirſuto, foliis quaternis, ovatis, trinerviis, margine longiuſculis pilis ciliatis, ad nervos hirſutis, ſeminibus albis hiſpidis. *Alteram* ab amiciſſimo DICKIO (præterito anno magno rei herbariæ damno e vivis erepto) accepi caule glabro, foliis quaternis, ovato-oblongis, mollioribus, brevibus ad marginem ciliis exaſperatis, nervis vix conſpicuis, ſeminibus ſubſcabris minime piloſis. Hanc Ill. LINNÆUS ſub prædicto nomine in *Mantiſſ. plant. I.* p. 38. & *alt.* p. 330. deſcribit.

XXI.

Galium auſtriacum JACQUIN. Tab. 80. etiam noſtris in oris paſſim in montoſis ſiccis & lapidoſis paſſim provenit, ut nova ſit civis helvetica. An vere a *Galio* 715 HALL. diſtincta ſit ulterius adhuc examinandum eſt, cum ſola hirſuties vel ejus defectus vix ſufficientem differentiæ notam largiatur.

XXII.

Scandix infeſta JACQUIN Tab. 46. omnino videtur eſſe *Caucalis* 742 HALL. inter ſtipulas apud nos vergente æſtate vulgaris. Aliam vero puto eſſe & ſa noſtra diverſam, quam Ill. LINNÆUS hoc nomine inſignivit & in *Syſtemate Vegetabil.* deſcripſit.

XXIII.

Seſeli 762 Hall., cujus pulcherrima icon extat apud Jacquin *flor. Auſtr.* Tab. 55. nobis Michelfeldæ plurimum creſcit & in M. Crenzach, ut ex loco natali pateat *Seſeli maſſilienſe fœniculi folio, quod Dioſcoridis cenſetur* C. B. huc potius pertinere quam ad *Tragoſelinum* 788. Hall. noſtra in regione nondum repertum.

XXIV.

Quod olim in M. *Generoſi* Helvetiæ transalpinæ paſcuis legi *Laſerpitium* 793. Hall. nunc omnibus computatis a *Laſerpitio* 792. ſ. *latifolio* Linn. non ſeparo. Folia inferiora equidem triloba ſunt vel ſemitriloba, lobis obtuſis, dentatis, ſuperioribus anguſtis, longis, acuminatis, integerrimis. Sed & in *latifolio* foliola inferiora ſubinde in duos tresve lobos ſinduntur, & in M. Muteto ſpecimina legi foliis ſuperioribus perinde valde anguſtis, longis, linearibus, trifidis. Synonima autem ab Ill. Hallero noſtræ ſtirpi adſcripta ad auſtriacam plantam ableganda ſunt, vere diverſam teſtibus *Horto ſicco* C. Bauhini & figuris Plukenetii, Rivini, Jacquini Tab. 147. &c.

XXV.

In *Auſtria* teſte Jacquino *Papaver dubium* Linn. tantum non ſemper flore albo occurrit, ut inter alia floris colorem pro diſcrimine a *Papavere rhæade* addiderit, cum noſtra in regione conſtanter flore rubro conſpiciatur. Ceterum in figura Cel. Jacquin *fl. Auſtr.* Tab. 25. petala crenata apparent, qualia quidem in noſtris nunquam obſervavi. An diverſæ ſtirpes?

XXVI.

Cratægus monogyna Cel. Jacquin *flor. Auſtr.* Vol. III. Tab. 292. fig. 1. quam a *Cratægo Oxyacantha* ibid. fig. 2. ſpecie diſtinguit, cum paſſim noſtris in oris abunde in dumetis & ſepibus ſponte creſcit, ſtirpibus helveticis adnumerari debet. An autem vere ab altera differat, ulterius inquirendum erit.

XXVII.

Aquilegia montana flore parvo Thalictri folio C. B. *Prodr.* p. 75. *Pin.* p. 144. quam ex Alpibus helveticis habuit, Ill. Hallero & Linnæo incognita fuiſſe videtur, cum prior ad *Iſopyra* eam in *Hiſt. Stirp. helv.* U. II. p. 83. n. 1190. retulerit, poſterior vero duas inde non ſpecie ſolum ſed & genere diſcrepantes plantas fecerit. Vera eſt *Aquilegiæ* ſpecies uti planta ſicca eique adjecta pulchra calamo exarata icon

teſtantur, & quidem *Aquilegia hirſuta flore viſcoſo* Magnol *Botan. Monſp.* p. 26. *Hort. Monſp.* p. 21. Tournef. *I. R. H.* p. 428. *Aquilegia* (*viſcoſa*) *caule ſubnudo ſubunifloro, foliis ternatis, foliolis ſubtrilobis petiolatis* Gouan. *flor. Monſp.* p. 267. n. 2. *Illuſtr. bot.* p. 32. Tab. XIX. *Aquilegia* (*viſcoſa*) *nectariis . . . caule ſubnudo ſubunifloro viſcoſo-piloſo, foliolis ſubtrilobis* Linn. *Mantiſſ. plant.* p. 77. *Syſt. nat.* edit. XII. T. II. p. 372. n. 4. *Syſt. Vegetab.* p. 420. n. 4.

An *Aquilegia foliis Thalictri, floſculis minutiſſimis albis* Menzel. *Pugill. rarior.* Tab. 8? flores quidem, licet perexiguos, aquilegiæ floribus ſimiles ait, ſed de mala icone floribus inſuper deſtituta vix judicium ferri poteſt.

An *Iſopyrum aquilegioides* Linnæi etiam huc referendum? Citat utrumque Bauhinum, Rajum, Morisonum, qui omnes ex C. Bauhino deſcriptionem ſuam mutuarunt. Quare, ſi diverſum eſt, expungenda erunt ſynonima.

Cum icon Cl. Gouani plantam jam valde adultam, ramoſam & floribus deſtitutam ſiſtat, iconem Bauhinianam æri inciſam heic adjungere non inutile fore duxi, ut inde floris hactenus ignoti figura pateat.

XXVIII.

Novi aliquid neminique hactenus, ni fallor, dicti Argentorati olim obſervare licuit in cadavere virili publicæ celeberrimi olim in ea Univerſitate Anatomes Profeſſoris Boecleri demonſtrationi ſubjecto, veram nimirum in brachio dextro patellam, quæ quidem primo intuitu pro olecrani fractura habebatur, donec ulterior diſquiſitio integrum hoc ſolitaque forma gaudens patefecerit. Hujus autem olecrani ſummitati adhærebat os noſtrum, veram rotulæ in inferioribus extremitatibus occurrentis formam referens, & perinde, ſicut vera genu rotula propriis ligamentis tendinibus nempe muſculorum rectorum &c. firmatur, etiam inſolita hæcce brachii rotula muſculorum anconæorum tendinibus ſupergredientibus ita firmabatur ut motus ipſi ſupereſſet veræ patellæ æmulus.

XXIX.

Flexor brevis communis digitorum pedis, perforatus dictus, ſitu naturali locatus ſed tribus tantum, cum vulgo quatuor ſint, tendinibus conſpicuus apparebat in cadavere virginis. Tres hi tendines primos tres poſt pollicem digitos adibant, minimus autem digitus ſuum tendinem a carne quadrata habebat.

XXX.

Bicipitis brachii tendinem, qui alias a concurſu duorum ejus muſculi capitum fieri ſolet, tribus diſtinctis capitibus originem debuiſſe in annoſa muliere obſervavi. Tertium illud præternaturale bicipitis caput oriebatur ex oſſis humeri media parte ſupra brachiæum WINSLOVII. Pollice latior erat hujus tertii capitis origo & muſculus ſenſim gracilescens tendinem dabat paulo poſt cum tendine bicipitis in unum coëuntem, ut jure hicce muſculus, vulgo biceps audiens, triceps dicendus fuerit.

XXXI.

Eadem fere in virili cadavere obſervabantur, niſi quod tertium caput ex eodem brachii loco oriundum tenuioris fuerit carnis & nullum ediderit tendinem, ſed carneum locum concurſus duorum reliquorum capitum adierit, ibique ſuas cum eorum fibris commiſcuerit.

XXXII.

In cadavere ſenis ſubfatui angiologicæ demonſtrationi dicato hepar inſignis voluminis ſed coloris & conſiſtentiæ naturalis apparebat; in arterias autem cyſticas hepaticæ propagines inquirenti neque eaſdem neque veſiculam fellis neque minimum ejus veſtigium vel alius noduli, quod quandoque contingit, reperire datum fuit, ſed tantummodo aliquid membranoſi in depreſſione quadam ibi loci, ubi vulgo veſicula fellea eſt, aderat, cujus exigua portio ad porum uſque biliarium extendebatur, flatui & ſtylo impervia. Neque colon neque adjacentes partes flavo colore erant tinctæ, uti quidem ſolent, quando veſicula fellea adeſt.

An defectus veſiculæ fellis arteriarumque cyſticarum in hepatis augmentum ceſſit? An major hepatis moles ad majorem bilis hepaticæ copiam parandam neceſſaria erat, quæ quantitate ſua cyſticæ bilis qualitatem in digeſtione quodammodo compenſaret? An fatuitas hujus ſenis a vappidiore chylo minuſque elaboratis humoribus? cum hepatica bilis inertior cyſticæ vices in digeſtione gerere haud poſſit.

XXXIII.

Dextram venarum emulgentium, quæ, antequam hilum renis attingant, vulgo in tres ramos dividuntur, duabus tantum ibi loci diviſionibus conſpicuam vidi. In tertiæ ſupplementum aderat vena inſolens in infima renis parte ſub quadam ibi loci viſenda præternaturali arteria locata, quæ in cavam paulo ſupra iliacas, arteria vero in aortam inter

mesentericam inferiorem & iliacas inserebatur. Sinistri lateris vena tribus equidem ramis erat instructa, sed eorum infimus inferiora versus curvabatur & sub aorta cavam petebat vena aliqua ex lumbaribus auctus.

XXXIV.

Venas jugulares externas, quæ suum sanguinem in subclaviam alias effundunt, in eo variare vidi, quod dextra sanguinem suum in cephalicam brachii dextri venam, ubi mox in axillarem abit, sinistra vero in jugularem internam lateris sinistri infunderet.

XXXV.

Puer annorum novem ante sex & quod excurrit menses ex morbillis convalescens tussi sicca adficiebatur, vehementi, fere convulsiva, cum spirandi difficultate. Adhibitis statim pectoralibus, lubricantibus, demulcentibus, diluentibus tepide adsumtis morbus equidem parum diminuebatur, apparebant tamen sputa mere pituitosa tenacia cum momentaneo levamine. Corpus interim, appetitu licet bono, sensim emaciabatur præter abdomen tumidum, tensum & durum; facies pallebat, pulsus erat febrilis, respiratio brevis & anhelosa. Tandem prægressis vehementissima tussi maximisque conatibus membranosi quid exscreavit vas aliquod majus sanguiferum referens cum suis ramificationibus, simillimum iconi Tulpianæ infra citandæ, quod postea inæqualibus intervallis similia sed minora fragmenta sequebantur, morbo hactenus diminuto, ut respiratio liberior evaderet. Suadebatur tum ipsi usus lactis Asinini cum aqua Valsensi & conveniente diæta, quam per 4. menses continuavit, interpositis lenioribus laxantibus. Quibus auxiliis si non totum, maxima tamen ex parte, malum fuit debellatum, ut nunc, cum hæc scribo, præter respirationem nondum penitus liberam tussimque sed mitiorem per vices redeuntem, satis bene habeat spesque adfulgeat, brevi eum a pertinaci hocce morbo integre liberatum iri.

Fragmenta ejectà accuratius examinatà coloris erant extus carnei intus albi & truncum referebant solidum, teretem, pennæ anserinæ fere crassitiei, in multos ramos absque ullo ordine divisum, ramis iterum varie ramosis sensimque minoribus & tenuioribus, substantiæ membranaceæ tenacissimæ, ut statim pro muco bronchiarum condensato haberem. Rariorem huncce morbum mihique antea non visum, passim in Observatorum scriptis inveni, in TULPII *Observat. med.* Libr. II. Cap. 12 & 13. cum duabus perpulcris iconibus, in BARTHOLINI *Histor.* Cent. III. Cap. 98. cum icone valde rudi, in *Act. Eruditor. Lips.*

anno 1683. cum icone ligno inciſa non mala, quæ in *Journal des Savans* A. 1684. menſ. Februar. repetita extat, & inprimis in *Memoires de l'Acad. Roy. de Chir.* Tome V. edit. in 4. pag. 539 & ſeqq. ubi occaſione ſimilis corporis tuſſi rejecti & a Chirurgo Biſuntino LE BOEUF ad Academiam miſſi, morbus noſter pluribus aliis, præter dictos, caſibus illuſtratur & in naturam ejus ulterius inquiritur.

Prioris quidem ævi medicorum, qui de hocce concreto vaſculiformi ſcripſerunt, nonnulli pro vera id vena pulmonali parenchymate ſuo nudata habuerunt, uti TULPIUS, BARTHOLINUS &c.; alii pro polypoſa ſubſtantia in vaſe aliquo ſanguifero pulmonali exorta. Mihi vero omnino muco bronchiali videtur originem ſuam debere, qui in ultimis bronchiarum ramulis ſenſim ſpiſſior evadit tandemque in membranæ ſpeciem condenſatur, & conſentiunt mecum Cel. LISTER, BUSSIERE aliique in *Actor. Acad. Reg. Chirurg.* Tom. V. loco citato allegati.

ADNEXA.

1. Quid eſt febris?
2. An febris adeſſe poteſt abſque ulla in pulſu manifeſta mutatione?
3. An morbi exanthematici ab animalculis vivis ſub cute latentibus, ut quidam recentiorum putant? non videtur.
4. Oryzæ farina loco farinæ Tritici lacti incocta optimum eſt infantum tenellorum alimentum.
5. Sperma Ceti, Butyrum Cacao, Oleum Amygdalarum dulcium aliaque oleoſa non acria in morbis pectoris etiam acutis optimum ſæpius edunt effectum, licet a quamplurimis hodie reprobata.
6. An Purpura alba & rubra ſemper ſymptomatica? Minime.
7. Licetne Medico in homine ſano morbum excitare, eo fine ut illum a morbo futuro præcaveat?